

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Amicitia i cum fonte primo

Sunt quidam amici amicitia mala que nec amicitia dicenda est quia mala conscientia facit. Sunt enim homines qui pariter mala committunt et ideo uidentur sibi iuncti quia conscientia mala ligati sunt. Excepta ista nepharia amicitia, est quedam amicitia carnalis per similitudinem habitandi, colloquendi, simul conuersandi ut tristetur unus cum deseritur ab amico cum quo solet colloqui et habere coniunctionem. Conueniunt duo, ambulant secum triduo, et iam nolunt a se recedere. Et ista quidem amicitia est honesta, sed

est consuetudinis non rationis. Habent enim illam et pecora. Duo equi manducant simul; desiderant se ad aliam diem; procedit unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum; uix regitur a possessore, et tamdiu se impetu suo prouocat, quousque ad alium perueniat.

Et est alia amicitia superior non consuetudinis sed rationis qua diligimus hominem propter fidem et mutuam beneuolentiam in ista uita mortali. Ac superius quicquid inuenimus diuinum esse, incipiat homo amare et non amabit in homine nisi Deum.

Augustinus in quodam sermone.

Sunt amici – excepta amicitia, quae nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia: sunt enim homines qui pariter mala committunt, et ideo uidentur sibi iuncti, quia conscientia mala ligati sunt– excepta ergo ista nefaria amicitia, est quaedam amicitia adhuc carnalis per consuetudinem cohabitandi, conloquendi, simul conuersandi; ut contristetur homo, quando deseritur ab amico, cum quo solet conloqui et habere coniunctiones. Conueniunt duo homines, ambulant secum triduo, et iam nolunt a se recedere. Et ista quaedam amicitiae dulcedo est honesta quidem: sed adhuc discutiamus illam, quia gradus amoris huius quaerimus; et videamus quo usque pervenerimus usque ad amicitiam talem, qualem dixi.

Est ergo ista amicitia consuetudinis, non rationis: habent illam et pecora. Duo equi manducant simul, desiderant se: si alia die praecedat unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum; vix regitur a sessore, et tam diu impetu suo prouocat, quo usque perueniat.

Cum pervenerit ad eum qui praecessit, sedatur: pondus illum ferebat, pondere amoris urgebatur; venit tamquam ad locum suum, et conquevit. Adhuc et ista amicitia consuetudinis est in pecoribus: surgamus adhuc et ab ista.

Est alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem et mutuam benivolentiam in ista uita mortali. Hac superius quicquid inuenimus, diuinum est. Incipiat homo amare deum, et non amabit in homine nisi deum.

Caesarius Arelatensis, *Sermones*, 21.3 (CCSL 103, G. Morin ed., pp.95-6).